

† R. P. Constantinus Petrone (1866-1938) ¹*(Prov. Neapol.)*

Die vigesimo primo mensis Mariani a. 1866 Constantinus Petrone in loco Montagano, provinciae Campobasso, natus est, et post annos 72, recurrente eodem die 21 Maii, qui hoc anno fuit dies sabbati, hic insignis Deiparae cultor Neapoli ad S. Antonii a Tarsia e terrestri exsilio ad gaudia aeterna transmigravit, signatus signaculo electorum Domini.

Quo tempore Provincia Congregationis antiquissima, post eversiones illas publicas (1860-1866) paulatim e ruinis surgebat, providentissimus Deus a. 1882 ei adduxit Constantinum nostrum, tum sedicennem, ingenio valde pollentem pariterque pietate ac vita intemerata, ut in schola sodalium veteranorum Instituti genuinum spiritum addisceret eumque postea venturae generationi

transmitteret. In perpetuum Iesu Christo et Congregationi votorum professione sese consecravit Marianellae d. 9 Nov. 1883, et d. 16 Mart. 1889 indelebilem sacerdotii characterem in anima recepit.

Brevi postea iubetur teneras horti nostri plantas colere, et libenti animo P. Petrone per amplius duo decennia totum se devovet Provinciae dilectae inventuti instituendae atque educandae, sive in schola sive extra scholam in deambulationibus, in recreatione... Docens discipulos suos descendit ad ingenia etiam minus felicia, adiuvans ea figuris adumbratis similibusve adminiculis. Nec solam intelligentiam excolere satagit scientia sacerdoti missionali necessaria, sed cor quoque pietate et virtute vere Alfonsiana imbuere, narrans historiunculas aptas vel dictans oratiunculas in ecclesia Lictieriensi de Matre perpetuo succurrente tertia quaque Dominica mensis

¹ Cfr. G. M. DAMIANI et GIULIO SISTO in foliis *S. Alfonso IX* (1938) 114-119.

ab adolescentulis recitandas vel aliter eos veri Redemptoristae spiritu imbuens. Verba autem P. Lectoris eo magis iuvenes movent, quod praeclarae vitae exempla ea comitantur. Ipsi suis oculis vident, quanta devotione dilectus P. Lector, flexo semper poplite, Officium Divinum recitet vel Iesum tabernaculo reclusum multoties visitet, quanta religione cuncta Regulae praescripta servet, quanta mortificatione utatur in manducando et bibendo, nunquam, ne diebus quidem festis, tangens cupedia ac bellaria.

P. Petrone, ingenio, ut iam diximus, mire pollens, omnes fere disciplinas per vicem docuit: litteras Latinas Italicasque, philosophiam, theologiam dogmaticam moralemque. Ad altiora quoque munera vocatus est; vix enim annos natus 34 vel 35, iam renuntiatus est Rector collegii Paganensis et Consultor Provincialis. In Capitulo generali anni 1909 fuit alter, post Servum Dei Antonium Losito, Provinciae Neapolitanae Vocalis. Capitulo anni 1921 interfuit qua Provinciae Superior, quo munere per varia triennia functus est, etiam tempore ultimi Capituli, quamquam infirma valetudo eum a. 1936 induxit ut sibi substitutum secundum Const. n. 735 eligeret. Praeterea Rectoris localis officium gessit Iuranis et Matredomini. Gubernavit autem familiam sibi creditam sagacitate, prudentia caritateque vere singulari. Quodsi cui forte interdum nonnihil rigidior apparuerit, id soli zelo observantiae debebatur.

P. Petrone saepenumero verbum Dei annuntiavit eloquenter, tum populo in missionibus et in ecclesiis nostris, tum sacerdotibus, monialibus, viris cultis, ad quod praedicandi genus ob suam egregiam scientiam magis idoneus erat. In particularibus occasionibus semper erat orator quaesitus semperque admiratus. Nondum 30 annos natus (20 Sept. 1895) iam habuit orationem magnificam de Leone XIII, « Pontifice boni verbi », quae mox typis mandata est, sicut pariter aliae de S. Vincentio a Paulo, « typo Actionis Catholicae nostrorum temporum » (a. 1901), de † Pio PP. X (1914), † P. De Marco (1914), † P. Losito (1917), † P. Jacovetti (1918)...

Alia quoque opuscula et opera publici iuris fecit, quae in Bibliographia Meulemeesteriana (II, 318 sq.) videre est. Haec opera omnia sensibus singularis pietatis, praesertim erga SS. Eucharistiam et Beatissimam Virginem, sunt saturata et cogitatis vere « originalibus » abundant. Peculiari mentione digna videtur conferentia illa anni 1922 *Dante e S. Alfonso. Incontro dei due geni nella divozione alla Madonna*. Nec silentio praetereundus est liber poëticus *Sub umbra illius... Inni sacri*, qui a paginis 88 I^{ae} editionis (1903) crevit ad paginas 213 in III editione (1922), et cuius pulchri hymni partim adhuc a populo illarum regionum meridionalium cantantur.

Quanto zelo quantaque caritate, data opportunitate, etiam alios excitaverit ad veritatem ope preli strenue vindicandam et regnum Dei dilatandum, grato animo testatur¹ vir laicus *Robertus Lorenzoni*, qui olim,

¹ S. Alfonso, Iul. 1938, p. 131-134: *Dal libro della mia vita*.

quod nostrum P. Tobiam Butturini eiusque recreatorium militare in foliis periodicis *La Frusta* contra infamia folia *L'Asino* defenderat, a francomuratoribus coactus est cursum militarem derelinquere, sed postea, ferroviario servitio addictus, nobilem religionis causam scriptis fortiter tutari perrexit. Cui amico P. Petrone non cessabat fidei axiomata inculcare, veluti: « Homines tibi nocere nequeunt, si Deus tecum est. Homines transeunt, Deus manet. Omnia finem habent, et mors est dulcis ei qui bene vixit ».

Defleti confratris anima electa ultimam suam recepit purgationem, quando biennio ante mortem tactus est paralyti progrediente, cui nullum prostat remedium, unde mentis quoque vires, eousque adeo splendentes, magis magisque declinarunt. Quam crucem gravem religiosus tam solida virtute praeditus portavit patienter, et sicut patientia, ita etiam humilitate, mortificatione, pietate ceterisque virtutibus nobis in vita ostendit, quomodo genuinus S. Patris Alfonsi filius sese gerere debeat.¹ R. I. P.